



Io. Petri Lotichij

RERVM GERMANI-
CARVM

LIBER VIII.



CAPVT I.

De Friderici Palatini, & Bethleni, super rupta
confœderatione, querelis, novisque in armis
præparationibus.

I.

*Apologeticus, pro Friderico Palatino, sub Angli-
cani cuiusdam Equitis nomine, divulgatus.*

Ost fatalem illam rerum *Bohemi-
carum* catastrophem, *Cæsareanis*, &
Catholicis, ob victoriam gloriosâ,
exultantibus, *Fridericus Palatinus*,
cum suis, ob cladem acceptam,
vulnusque immedicabile *Cæsaru*,
ac *Bavari*, armis inflictum, solum
vertere, ac tantum non exulare, cœpit.

Prodiit eo tempore *Apologeticus*, in favorem *Friderici Pal. Regis*, sub nomine *Anglicani* cuiusdam *Equi-
tus* scriptus. In quo præfati *Palatini* ergâ *Bohemos*
studium, credulitas, fidelitas, rebusque in agendis
industria, ac sapientia, commendantur, contra *Bo-
hemorum* inconstantia, securitas, superbia, præfer-
tim rebus inclinantibus infidelitas, moresque; dege-
neres, damnantur. Quanquam igitur, inquit, juxta
Ovidianum illud, consilia non ab eventu, sed ex ani-
mi fide, pensiculanda, eveniant, *Bohemisque* vicio
verti possit, quod non, antè *Bavari* adventum, in
Austriam eduxissent, copiasque hostiles, antequam
in tantum exercitum confluere possent, fudissent,
nihilominus, sepositis causis illis secundis, ad causam
primam, *DEVM* nempe, respiciendum esse, mo-
net utique, qui *Bohemorum* fastum, insolentiam, a-
liaque vitia decumana, per *Cæsareanos*, *Bavaricosque*,
iusta sub pœna, ac vindicta, coercere voluisse, no-
tabilitè animadversus sit.

Narrat, *Fridericum Regem*, *Anhaltinumque Princi-
pem*, tanquam vicarium, proregem, & rei militaris
præfectum supremum, longè antea cladem immi-
nentem divinasse, fœcordiamque *Bohemia Procerum*,
ut qui neque de annonâ militari, neque de apparatu

armorum, neque de stipendiorum solutionibus,
tribus utique apud exercitum requisitis principa-
libus, debitam curam, ac sollicitudinem, ad animum
admitterent, prehendisse. Tametsi enim, curiosâ
Regis vigilantia, ac sedulitate, effectum sit, ut regni
Proceres, indicto conventu, de rebus necessariis, de-
liberare, ac determinare, cœperint, nihilominus
languore, ac supinâ fœcordiâ, rem potiùs extractâ,
quàm in effectum deductam, esse. A *Regis* partibus
nihil unquam fidei, studii, ac vigilantia intermis-
sum esse, usque eò, ut omnia cumulatè, atque opti-
mâ fide, præstiterit, quæcunque unquam provisisset
antè. Illum nempe è *Palatinatu* in *Bohemia*
apparatus bellicos, plusquam ducenta florenorum
millia pretio æquantes, importasse, nempe se-
ptem peditum millia, & mille ducentos eque-
strium, propriis sumptibus conscripsisse, ac flo-
renis plusquam octoginta millibus in singulos
menses numeratis, aluisse, nempe ter centum
florenorum millia *Bohemis* mutuò dedisse, ipsum
met, in castra, & militiam, egressum esse, tan-
taque virtutis, ac fortitudinis, specimina dedisse,
ut toties, regio quò parceret capiti, ad-
moneri à suis cœperit. Interim *Bohemia Proceres*,
tanquam sub alta sive pace, sive victoriâ, genio,
conviviis, ac voluptatibus, vacasse, neque de
commeatu, neque stipendiis, neque *Prage*, civi-
tatis regia, communitione, sollicitos fuisse. Im-
mò complures coràm *Rege* externam obedien-
tiam, intus verò, atque in cute, vel promissio-
nibus *Cæsareanorum*, vel cognatorum persuasio-
nibus, inductos, proditionem, ac fraudem, fo-
visse. Ut etiam, sub ipso conflictu *Pragenst*, intrâ
urbem tripudiis, epulis, ac commestationi-
bus, strenuè litatum sit. Insuper, *Regem*, à *Bohemis*
electum, ac vocatû, electivo sub regno, velut præ-
cariò regnasse, *Procerib.* nunc hîc, nunc illic, privi-
legia,